





Gr. 15. num. 39.

5  
DISSERTATIO IVRIDICA IN AVGVRALIS,  
SISTENS DISQVISITIONEM

A N A T O C I S M V S  
AN ET QVATENVS SIT  
PROHIBITVS,

QVAM,

SVMMO IN COELIS NVMINE ADIVVANTE,  
EX CONSENSV

AMPLISSIMAE FACVLTATIS IVRIDICAE  
ACADEMIAE VARNIACAE,

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI ATQVE CONSULTISSIMO,

DN. ERN. IO. FRID. Mantzeln,  
SEREN. DVCIS REGN. MECKL. CONSIL. CANCELL. AC CONSIST.  
PANDECT. PROF. PUBL. ORD. COM. PAL. CAES. FAC. IVR.

SENIORE, ATQVE H. DECANO,

STUDIORVM SVORVM PROMOTORE SEMPER  
COLENDO,

PRO OBTINENDIS SVMMIS IN VTROQVE  
IVRE HONORIBVS,

ANNO MDCCXLX. DIE XIII. MARTII

ATHENIS VARNIACIS

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIT.


L V D O L P H P H I L I P P  
MECKLENBVRG,


BOICENBVRGO MEGAPOL.

SVPREMORVM IVDICIORVM ADVOCATVS RECEPTVS.

ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.







## INGRESSVS.

Cum mihi, in numerum Advocatorum ordinariorum ante aliquot annos clementissime recepto, juxta præscriptum constitutionis Illustrissimæ ducalis de 7mo Aprilis 1711.  
jam incumbat, ut exanlato examine et inaugurali dissertatione conscripta, summis in utroque Jure honoribus ornatum me sistam; præprimis de materia quadam practico usu non destituta eligenda fui sollicitus. Adhuc Academiam Varniacam frequentans exercitationis gratia dissertationem quandam, ex jure feudali desumptam, de alienatione feudorum conscriptam, publice defendere fategi, & haud multo post eodem anno 1752. schediasma

A 2

quod-

ATDART

quoddam gratulatorium de adjudicatione  
feudi etc. ad testandam meam reverenti-  
am Consultissimo Domino Professori B E-  
C K E R O , Præceptor meo semper co-  
lendo, tum temporis fasces Academicos su-  
scipienti, debitam, prelo submisi. Hisce per-  
motus in eligendo themate dissertationis in-  
auguralis ad aliam jurisprudentiæ nostræ par-  
tem respicere, & inter varias, quæ mihi sese  
obtulerunt materias, eam, quam titulus præ-  
se fert, eligere placuit, non dubitans, fore,  
ut in posterum eo majorem usum præbeat,  
cum etiamnum in foro de ea controver-  
tatur, mihiique partes eam in judicio defenden-  
di antehac fuerunt demandatæ. Disertatio-  
ne jam maxima ex parte exarata, a gravissimo  
Domino Decano & Præside, Viro Illustri at-  
que consultissimo, mihi transmisla fuit dis-  
sertatio Carrachiana de eadem materia con-  
scripta, sed inspectio docebit, meam diser-  
tationem non omni usu fore destitutam, licet  
diffiteri nequeam, memet Carrachianam dis-  
sertationem in ultimis paragraphis hujus tra-  
ditionis haud sine fructu adhibuisse.



TRACTA-



## TRACTATIO.

### §. I.

Nihil æquitati magis est conveniens, quinimo ipsa æquitas nil magis postulat, quam ut ille, qui facultates suas aut alias res in alterius usum ad tempus concedit, iisque se ipsum privat, eum in finem, ut alter commodum inde percipiat ad bona sua melioranda, conservanda, vel agenda, quique igitur hac liberalitate sibi demit occasionem tum suis facultatibus fruendi, tum cum ipsis commodum sibi conciliandi, ut ille, inquam, de alterius lucro vel propter usum nummorum quandam ab illo percipiat compensationem. Nolunt enim Leges, ut quis cum damno alterius fiat locupletior, hinc que tam jure naturæ quam jure gentium approbatum, ut usuræ pro mea pecunia, alteri mutuo data ab illo, qui eam accepit, mihi solvantur, quippe sub quarum denominatione fructus isti pro usu pecuniæ mutuo

A 3

datae



datæ competentes veniunt. Tam certum enim est, quam quod certissimum, Jus naturale in contractibus semper observare proportionem arithmeticam *Hagen de usuris C. 3.* & neminem esse obligatum, ut alteri usum quantitatis debitæ gratis concedat. *arg. L. 13. §. 20. de act. ent. venditi.*

## §. II.

Noto notius est ; quantum odiosa fuerit denominatio usurarum in auribus Moralistarum & Theologorum, istarum exactionem ac acceptationem ad peccata referentium, istasque tam jure positivo divino, quam naturali, prohibitas autem tantum. Non quidem mearium est partium, eorum disquirere rationes, quippe quæ partim ex contractu mutui gratuito, partim exinde, quod cum pecunia sit sterilis, illa non possit esse fructuosa, partim quia usurarum exactio Hebraicæ in sacro Codice est interdicta, sunt desumptæ. *a Felden in annot. ad Hug. Grot. de jure Belli & pacis §. 12.* Verum enim vero omnia hæc argumenta facile corrunt, si perpendamus, contractum quendam, qui regulariter est gratuitus, tamen etiam non gratuitum fieri posse, si partes ita inter se convenerint, id quod præcipue in mutuo occurrere solet, cum nemo alteri pecunia sua gratis succurrere sit obligatus, nec ejusmodi quid jure quodam ab ipso exigi queat. Deinde etiam res per se steriles, industria hominum adhibita & accedente, fieri possunt fructuosæ, & cum nummi mutuo dati debitori usum præbeant, adeoque merito etiam utilitatem ille capere debet, qui nummos in alterum



rum transtulit, ut illis utatur. Præterea æquitati conveniens est, ut Creditori propter parentiam bonorum utique interesse praetetur, sive indigentia sit cum lucro ratione ejus, qui mutuum accepit, connexa, sive non, sive Debitor sit Pupillus, qui sibi ipsi haud propicere, nec curam suarum rerum gerere potest, sive sit alius quidam. Quod vero prohibitionem usurarum Hebræis factam concernit, ista penes nostrates nullius est ponderis. Nam in jure divino usuræ solummodo sunt prohibitæ, quatenus sunt immoderatae & injustæ, ad oppressionem proximi tendentes. Certum potius est, usuræ non merum continere lucrum, nec contra regulas Justi peccare, *L. 3. §. 20. D. de act. emti venditi.* Sed eas tendere in compensationem incommodi & periculi, quod is, qui pecuniam alteri utendam concedit, suscipere tenetur. Cum jure naturæ itaque consentit, ut ille, qui alterius pecunia uititur, indeque emolumenitum capit, Domino partem ejus emolumenti usurarum nomine præstet. Nec differentia quoad debitorem pauperem locum invenit, idque eo minus, cum Creditor in isto casu majus adhuc periculum suscipiat, nec ullo modo obligatus esse queat, ut rei suæ usum donet, & locer, licet haud difitear, generosi esse animi pauperi gratis succurrere. Interim hæc pertinent ad officia imperfecta, quæ jure naturæ non per modum Legis sunt præscripta. *Leyser spec. 243. med. 1. & 2. Puffendorff in jure Nat. & Gent. L. 5. C. 7. §. 8.*

§. III.



## §. III.

Nec affirmari potest, priscas Gentes usurarum stipulationem simpliciter fuisse aversatas. Haud enim per se, sed ex accidenti usuræ fuerunt odiosæ, cum Creditores avari magnos circa eas fecerunt abusus, & pauperes Debitores ad incitas redigere sibi haud duxerint religioni. In eo veram invenies rationem, quare Jus tam Romanum quam canonicum usurarum exactiōnem tam acri odio prosequantur, & quare ipsum Jus Germanicum usurarum stipulationes tam arctis inclusit limitibus, in legibus tam Imperii universalibus, quam provinciarum particularibus, nec non in Statutis civitatum municipalibus, prescriptis. Licet igitur obfrequentes abusus, nimiamque fœnoratorum iniquitatem jura modo allata usurarum exactiōnem tam odiosam habuerint, postea tamen æquitate perspecta, quod cum meis, quibus alter utitur, mihi sit carendum, eo magis jus aliquid pro usu concesso exigendi mihi sit concedendum, dum Jureconsulti animadverterint, neminem, qui aliorum ope ac subsidio pecuniariorum indiget, illud obtenturum, sive toti Reipublicæ plenariam usurarum prohibitionem obfuturam, quinimmo per tales inhibitiones varias Creditoribus dari occasions, sub aliis speciosis praetextibus usurariam exercendi pravitatem, successu temporis in jure Romano usuræ sunt approbatæ, nullo habitore respectu, eas secundum veterum Philosophorum placita pro odiosis fuisse habitas. Optime de materia isthac legi meretur Stryckius in *Uso Moderno tit. de Usuris*, §. 1. & 2. Absque usuris enim mutua inter homines bonorum communicatio



catio & mutuatio diu consistere non potest. Semper scilicet dantis deterior foret conditio quam accipientis. Quapropter recte afferit *Cothmannus in Vol. 3. Resp. §2. n. 43.*, *sine usuris mundum constare non posse.* In jure canonico propter principia primitiva ecclesiæ, secundum quæ omnes usuræ execrantur, istarum exactionem esse prohibitam nemo erit qui inficias ibit. c. quoniam diff. 47. c. fin. X. de usuris c. 1. & 2. eodem in 6to cap. 17. X. de foro competenti, ita ut etiam statuta usuras permittentia improbentur. Clem. un. de usuris, cum jure Pontificio ad delicta usuræ referantur. Tamen, si verum dicendum, ipsum Jus canonicum revera usuras approbabit, id quod facile erit probatu, dummodo in verbis volumus esse faciles. Interesse enim, tam lucri cessantis, quam damni emergentis, pro mutuo dato exigi posse, ambabus concedunt Pontificii. C. 9. X. de arbitris. C. 16. & 18. X. de usuris C. un. X. de plus petitione. C. 48. X. de sentent. excomun. de Balthasar de usuris jure Lubecensi in concursu Creditorum in eadem classe cum forte integre collocandis. §. 1. 2. & 3. Cum vero interesse locum usurarum subeat, per se patet, & Jus canonicum per indirectum usuras haud improbare. Nam Jus canonicum fundamentum prohibitionis in jure divino collocat. C. consuluit X. de usuris. Cum vero spho præcedenti jam deductum, Jus divinum solummodo de usuris immoderatis & nocivis esse explicandum, prono alveo sequitur, juris canonici dispositionem falsis inniti principiis, cum quicquid citra fraudem & dolum proximi fit, in Republica bene constituta pro illicito non sit habendum. Ejus naturæ autem sunt usuræ moderatae.

B

Simi-



Similiter & jura Germanica damnarunt usuras, uti ex multis perspicere licet collectionibus, quid quod haut paucæ adhuc exstant leges provinciales, quæ licet usuras in regula permittant, tamen in concursu creditorum, si massa bonorum ad sortem creditoribus solvendam non sufficiat, usuras aut plane non creditoribus hypothecariis adjudicant, aut saltim ad quosdam annos sollemnmodo tribuunt, uti de Saxonia testatur *Mevius ad Jus Lubecense L. 3. tit. 1. art. 12. n. 76.* & de jure Lubecensi ex dispositione *art. 2. L. 3. tit. 1.* patet, usuras unius anni tantum in concursu cum sorte collocari, licet e contrario *Jus Lubecense per art. 12. libr. 3. tit. 1.* istis creditoribus, qui mutuum absque usurarum stipulatione dederunt, magnam præferentiam in concursu creditorum tribuat, eosque ante ipsas hypothecas publico libro insertas collocet, cujus ratio procul dubio ex odio usurarum est deducenda. *Illustris Dn. Mantzelius de pecunia sine usuris credita. Balthasar in cit. differt. §. 5.*

#### §. IV.

Licet vero in diversis provinciis odium usurarum multis constitutionibus provincialibus occasionem derit, limites usurarum determinandi, Serenissimi tamen Duces Megapolitani non simpliciter retinuerunt principia plurimorum de odio usurarum haud satis fundata, sed potius, uti in ceteris casibus, ita etiam intuitu usurarum æquitatis rationem gesserunt. Exstat enim *constitutio d. d. Suerini die 29. Januar. 1646.* vi cuius usuræ cum sorte eodem gaudent jure,  
ac



ac cum ista eodem loco in concursu Creditorum collocantur, in verbis: An welchem Ort die Urtheil jemanden das Capital zuerkannt, an selbigem Ort er auch der darauf betagten rechtmässigen Zinsen fähig seyn solle.

§. V.

Ne vero homines lucrum captantes ac horrendum foeneratorum genus miseris debtoribus nimium inferant damnum, in Legibus tam peregrinis a Germanis postea receptis, quam in ipsis Legibus patriis, sive sint Imperii universales, sive Provinciarum particulares, usurarum exactio varios accepit limites. Nam pro mutuo alteri dato fructus ut percipiamus, cum aequitate convenit, ac alter pro usu nostrarum facultatum, atque hinc capto lucro, ut mihi se exhibeat realiter gratum, est necesse. Interim fructus pro mutuo accipiendi ita debent esse proportionati, ne debitor omnibus privetur commodis. Quantitatem igitur & modum determinarunt Leges, licet nec in omnibus Provinciis, nec in quovis casu unum idemque sit sanctum. Sic Romani usuras determinarunt trientes, sive 4 pro centum; nonnunquam bessales, sive 8 pro centum, et in quibusdam casibus centesimas usuras justas crediderunt, sicuti etiam in quibusdam casibus solummodo 3 pro centum admirerunt, Schaumburg *Introd. in Jus Digest. tit. de usuris §. 3.* In Germania tamen quincunces regulariter sunt permisæ. Recess. Imp. de 1500. 1530. 1548. 1577. 1594. §. 174., nisi in Legibus provincialibus majores concedantur, uti in nostro



nostro Ducatu Megapolitano , in quo usuræ a 6 pro centum promissæ in judicio addicuntur , si debitor in mora est constitutus , ita ut semissales usuræ instar poenæ conventionalis , valeant . Evidem SERENISSIMVS DVX GVSTAVVS ADOLPHVS in edito d. d. Güstrow d. 20 Febr. 1662. semissales usuras plane prohibuit , nihilominus tamen postea in comitiis publicis Parchimi 1667. habitis ad gravamina ordinum nostrorum Provincialium ab hac prohibitione iste casus excipiebatur , si debitores morosos se prebeant , uti appareat ex Resolutione , cuius verba existant apud Tornovium de feud. Mecklenb. P. 1. Sect. 4. §. 3. p. 555. P. 2. c. 4. Sect. 1. §. 34. p. 64. Pariter etiam in Ducatu nostro propter praesentes belli calamitates mutuum publicum cum fuisset contrahendum , ex consensu tam Serenissimi Ducis , quam ordinum Provincialium , usuræ a 6 pro centum ultro sunt promissæ , id quod ex edito d. d. Lubecæ d. 31. May 1757. videre licet . Deficientibus vero Legibus provincialibus secundum Leges Imperii universales semper erit prouinciandum . In Ducatu Brunsvicensi tantummodo usuræ quincunces permittruntur , quicquid etiam multi de semissalibus ex constitutione Friderici Ulrici de 1618. & communi decreto Regiminis de 1749. affirmare velint , nam per Recessum Imperii de 1654. haecce edita sunt sublata , & adhuc hodie sceneratores ad restitutionem ejus , quod ultra quincunces acceperunt tenentur , v. Appendix der Wolffenbüttelschen Hof-Gerichts Ordnung , p. 804.

§. VI.



## §. VI.

Quibus præmissis proprius ad scopum meum accedere valeo. Animus mihi est disquirendi, num anatocismus indistincte, absque omni limitationes & simpliciter injustus atque illicitus vocari possit. Credo potius, eadem celeritate, qua plurimi anatocismo tam condemnatoriam minantur, illius justitiam atque æquitatem absolvitoria sententia, ut ita dicam, manuteneri posse. Nam bene est notandum, nec Debitori moroso, nec creditori fœneratori & nimium lucrum inhianti, nimis esse favendum atque indulgendum. Ratio potius, quare anatocismus prohibetur, caute est perpendenda, & justi oculi ad æquitatem sunt conjiciendi. Quo facto facili negotio apparebit, anatocismum modo esse licitum, modo illicitum, hinc limites ratione ejus justitiæ & injustitiæ esse ponendos, id quod in præsenti specimine paucis enucleare allaborabo.

## §. VII.

VSVRA est compensatio incommodi & periculi, quod ille, cuius pecunia alter utitur, subit L. 60. pr. D. pro socio, & accessorum fortis habetur. L. 4. 12. §. 23. C. de usuris. Dum vero de exactione usurarum jam agere allaboro, necesse erit præmittere, usuras hodie regulariter deberi vel ex CONVENTIONE vel ex MORA. Recess. Imp. d. 1600. §. Weilnum 2c. & de 1654. §. 154. Datur quidem adhuc modus usuras exigendi ex æquitate, de quo exempla in L. 12. §. 9. D. mandati. L. 1. §. 1. D. de usuris, exstant, ut scilicet mandatarius

B 3

pro



pro forte sua impensa a mandante usuras exigere possit, & socius, qui communem pecuniam sibi appropriavit, ex aequo usuras solvere teneatur. Sed de eo in praesenti non sum sollicitus. Cum vero debitor usuras promissas ex jure perfecto solvere debet, ita, ut per ad ductum *Recessum Imperii de 1654.* §. 174. & alias Leges paratissima executio decernatur, ille quoque si in mora constitutus, creditori suo infert præjudicium & detrimentum, ad quod resarcendum merito tenetur. Hoc vero aliter fieri non potest, quam ut pro retentis usuris creditori compensatio fiat, id quod duplici modo expediti potest, vel per actionem ad id, quod interest, vel per pactum, ut usuræ debitæ pro forte nova habeantur, atque creditor sic indemnus præstetur. Ceterum usuræ, quæ ex mora debentur, vocantur PVNITORIAE, illæ vero, quæ secundum leges contractus sunt solvendæ, CONVENTIONALES audiunt.

### §. VIII.

Meum igitur erit inquirere, num ejusmodi pactum ideo initum, ut Creditor propter moram a debitore in solvendis usuris commissam, indemnis præstetur, vi cuius debitæ usuræ pro nova forte habeantur, sive iterum usuræ de iis solvantur, sit invalidum necne? Cum id, quando usuræ usurarum exiguntur, in genere anatocismus vocari soleat, sequitur, ut ejusmodi pactum speciem anatocismi constituat. Haud negari potest, leges eum in finem, ne morosi debitores nimium patiantur damnum, illis succurrere voluisse, adeoque limites in modo usuras exigendi constituisse,



stituisse, quamobrem maxime dubia sese exserit quæstio: *num usuræ usurarum exigi possint, nec ne?* Legum verba si inspiciamus, ejusmodi exactiōem notorie vocant anatocismum, & quicunque hasce Leges absque grano salis interpretatur, responsonem in promtu habet, anatocismum esse illicitum & injustum & prohibitum. Sed uti æque facile anatocismus, si ad æquitatem respiciamus, tanquam licitus, æquus, justus & non prohibitus defendi potest, ita necesse est, ut iustitia pariter ac iustitia anatocismi rite perpendatur, semper ad id, quod æquum sit, respiciatur, principia recte stabiliantur, atque omnia bene distinguantur, id quod, quantum vires meæ & angustia temporis permittant, perspiciendi jam meum erit propositum.

### §. IX.

ANATOCISMVM, quantum ad me pertinet, definitio per pactum inter Creditorem & Debitorem initum, ut usuræ in novam sortem convertantur, & usuræ usurarum solvi debeant. L. B. de Wolff in jure Nat. P. 4. §. 1426. Hunc anatocismum distinguit Doctores in separatum & conjunctum. Ille committitur, si usuræ in novam sortem convertuntur, & debitor super usuris in sortem redactis peculiare chirographum dedit. Hic vero perpetratur, si usuræ sorti principali immiscentur. Ludovici in Usu pract. Dift. Jurid. L. 22. tit. 1. Dift. 10., qui iterum subdividitur in menstruum, si singulis mensibus, & anniversarium, si singulis annis usuræ in sortem rediguntur.

### §. X.



## §. X.

Jure naturæ uti usuræ sunt licitæ, ita nec anatocismus ullo modo secundum principia juris naturæ prohibitus censeri potest. Jus civile vero damnat anatocismum & separatum & coniunctum. Licet enim olim anatocismus fuerit permisus, id quod apparet ex L. 27. D. de re judicata, tamen in Lege 26. §. 1. D. de condic. indeb. omnia pacta super duplum usurarum & usuras usurarum sunt prohibita, ita, ut soluta repealantur. Imperatores etiam eousque hanc prohibitionem extenserunt, ut illi, qui usuras usurarum illicite exegit, infamiae maculam esse irrogandam, sancirent. Tandem Justinianus in L. 28. C. de usuris in universum anatocismum prohibuit, ita ut nullo modo usuræ in sortem convertantur, & usuræ usurarum exigi debeant, in verbis: ut nullo modo usuræ usurarum a debitoribus exigantur. Idem repetitum est in L. 3. C. de usuris rei judicatæ. Seriae hujus prohibitionis ratio in eo consistit, ut caveatur studium tenuiores debitores opprimendi, & in feceneratorum odio. L. ult. C. de usuris. Detestanda enim avaritia Creditorum eorumque malitia Imperatori hasce Leges ferendi suppeditavit motiva.

## §. XI.

Nec desunt Leges Germanicæ, quæ eodem rigore prohibent, ne usuræ usurarum exigitur aut solvantur, & facillimum foret ex diversis provinciis constitutiones five leges provinciales addere, quæ uno ore prohibitionem anatocismi in jure Romano factam corroborant.

roborant. Sic prohibent illum *Leges Imperii de 1500.*  
*tit. 31. 1548. 1577. tit. von wucherlichen Contracten.*  
*Recess. Imp. de 1654. §. 174. & speciatim in patria nostra*  
*ordinatio politica tit. von wucherlichen Contracten §.*  
*da aber einer rc. in quibus Legibus simul etiam poena*  
*usurarie pravitatis est determinata, sicut pariter jus*  
*canonicum c. 3. x. de usuris. c. 2. eodem in 6to. c. 1.*  
*X. de sepulturis poenas in usurarios constituit.*

## §. XII.

Quæ hactenus de prohibitione, usuras usurarum  
 exigendi, dicta sunt, a Doctoribus eosque extendun-  
 tur, ut, licet debitor usuras usurarum creditori jam  
 solverit, eas tamen iterum per conditionem indebiti  
 a debitore repeti possè, afferant. Dum enim, inqui-  
 unt, creditor contra juris civilis dispositionem usu-  
 ras usurarum tanquam indebitum, id est, ad quod al-  
 ter alteri præstandum non est obligatus, accepit, de-  
 bitor facultate gaudet, istas tanquam indebitum con-  
 dictione indebiti ab accipiente répetendi. Böhmer de  
 action. f. 2. c. 5. §. 27. Carrach. diss. de anatocismo licito  
 & illicito §. 5. n. 18. Interim tamen si perpendo, quod  
 usuræ solutæ, licet non sint promissæ, & licet quis  
 majores, quam promisit, soluerit, {minime condici  
 queant, Mevius conf. 99. Leyser sp. 148. m. 6. et 7. En-  
 gelbrecht observ. forens abs. 98. dubium adhuc moveri  
 posset, num solutæ usuræ indebiti conditione repeti  
 possint nec ne, præsertim cum anatocismus de jure na-  
 turæ haud illicitus sit, et indebiti condicō tunc solum-  
 modo locum habet, si alter alteri quid praestiterit, ad

.VIX .

C

quod



quod ne quidem de jure naturæ fuerit obstrictus *L. 15. 16.*  
*18. 64. D. de condicione indebiti.* Prævideo quidem hic  
 objectionem valde probabilem sequentem, quod ea,  
 quae de conditione indebiti propter obligationem ad  
 solvendum naturalem cessante adduxi, de obligatione  
 naturali non adprobata, minime autem de obligatione  
 naturali plane reprobata intelligenda maneat, ad quam  
 ultimam speciem propter verba legis generaliora ob-  
 ligationem de usuris usurarum solvendis simpliciter re-  
 ferendam esse contendere fatagunt. Sed nego ac per-  
 nego hic obligationem naturalem a civilibus Legibus  
 plane reprobata, præcipue, si respiciatur ad ea, quae  
 de hac materia infra subsequuntur.

### §. XIII.

Ex isto, quod hucusque deductum fuit, colligi  
 potest, anatocismum in jure esse prohibitum. Odium  
 vero usurarum in jure Romano ubique elucens huic  
 prohibitioni ansam dedisse, nemo erit, qui negabit.  
 Supra enim scripsi, olim apud Romanos usuras plane  
 locum non habuisse, nisi speciatim essent stipulatae,  
 cum usuræ ex mora jure Romano plane fuerint inva-  
 lidæ. *L. 3. C. de usuris.* Hodie vero usuræ non sunt  
 odiosæ, potius in *Recessu Deputationis de 1600 §. 52.* &  
*Recessu Imperii de 1654. §. 174.* usuræ ex mora sunt ap-  
 probatae. Nec desunt Doctores, qui asserunt, quod  
 hodie usuræ debeantur, licet nec mora nec pactum ex-  
 stet. *Ayrer in diff. de arbitrio judicis circa usuras.*  
*De Balthasar in diff. de pecunia affercationis in loca-  
 tione conductione.*

### §. XIV.



## §. XIV.

Mutato itaque statu Romano a nostro plane in materia usurarum diverso, sive mutatis circumstantiis, in quibus lex lata est, necesse etiam est, ut ipsa lex mutetur. *Böhmer Introd. in jus Digest. tit. de Legibus* §. 16. Cessante enim legis ratione, nec alia in ejus locum succedente, ipsa lex quin cœlet, in dubium vocari potest a nemine. *Idem libr. cit. tit. de just. & jure* §. 6. n. 2. *ibique adl. LL.* Non itaque ad rigorem prohibitionis anatocismi in jure Romano factæ est respiciendum, sed potius æquitatis ratio semper habenda, ita ut nemo cum damno alterius sese locupletet, *L. 14. D. de condic. indeb. L. 206. D. de Reg. jur.* Hinc eorum' ratio potior esse debet, qui de damno vitando certant, quam qui lucrum captare intendunt. *L. fin. §. 1. D. quæ in fraud. credit.* Anatocismus enim juri naturæ non repugnat *Griebneri princ. juris nat.*, et si forte adhuc dubium esset, an non mutato licet statu juri Romano nihilominus quo ad usuras adhuc sit inhærendum, interim tamen verissimum foret, in casu tali dubio illam sententiam esse eligendam, quæ juri naturæ convenit.

## §. XV.

Liceat mihi igitur deducere, anatocismum hodie non adeo esse illicitum, sed in certis casibus & certis sub limitibus nihil æquius esse, quam usuras usurarum exigere. Usurarum de usuris enim exactio tunc locum habet, si debitor in mora constitutus usuras debi-

C 2

tas



tas legitimo tempore non solvit, ac creditori suo inde  
damnum oritur. Absit a me, ut talium lucri cupidio-  
rum defensor esse velim, qui ob moram brevis temporo-  
ris statim anatocismum exercere volunt, sed cum gra-  
no talis potius hoc intelligendum erit ejusmodi de casu,  
si mora ita est qualificata, ut ex ea creditoris detri-  
mentum vel lucide probari, vel per præsumptiones do-  
ceri possit.

### §. XVI.

Per talem moram creditor fructibus pro sua pe-  
cunia, qua alter utitur, privatur, istaque compensatio  
creditori pleno jure competens in usu debitoris ma-  
net, quam tamen creditor in suum commodum adhi-  
bere potuisset. Debitor igitur suo creditori intercipit  
commodum, ipsique præjudicium infert, sibi vero  
emolumenntum conciliat. Iam autem per usurarum  
definitionem §. 7. adductam compensatio quædam in-  
commodi & periculi, quod ille, cuius pecunia alter  
utitur, subit, fieri debet; istaque compensatio ipsis in  
legibus est fundata, hinc perspicere non valeo, quid-  
ni etiam de usuris debitibus non solutis, & in usu debito-  
ris retentis, iterum usuræ exigi possint, cum creditor  
ex istis sortem constituere potuisset, quæ ipsi usuras  
peperisset. Aequitati enim hoc prorsus est conveni-  
ens, & aequitatis etiam judex habere debet rationem.  
*L. 8. C. de judiciis.* Præterea mora debitoris creditor i  
non debet nocere, & debitori prodeesse. *L. 37. D.*  
*mandati.* *L. 114. D. de Reg. Jur.* Supinæ negligentiae  
notam, immo doli suspicionem, evitare nequit, quem  
lex interpellat. *Schaumburg. comp. digest.* *L. 27. tit.*  
3. §. 3.



3. §. 3. Si igitur debitör morosus adhuc cum dolo ha-  
bere deberet commodum connexum , dolus ipsi con-  
tra omnia principia juris & æquitatis prodesset , id  
quod foret absurdum.

§. XVII.

Si itaque indistincte usurae usurarum effent pro-  
hibitae, fieri posset, ut creditor plane ad incitas redige-  
retur , cum e contrario debitor fortunas suas in multo  
meliore statum collocaret. Finge enim, creditorem  
sibi vietum et amictum comparandi inhabilem, ac tan-  
tummodo de usuris vitam degentem. Finge porro,  
anatocismum semper esse illicitum, et debitorem in  
usuris solvendis morosum. Nonne tunc foret necesse,  
ut creditor aut pereat, aut versuras faciat. Posteriori  
in casu usurae ab eo forent solvendae. Quis vero non  
videt, eum, nisi debitor usuras usurarum ipsi solvat,  
intra duodecim circiter annos sortem suam penitus  
perditurum, dum ille de mutuo quotannis ab eo faci-  
endo usuras solvere cogatur. Annon aequius erit,  
ut debitör creditorem praestet indemnem. Quoties  
enim agitur de interesse damni emergentis , toties  
interesse ulterius interesse exipi potest *Barboſa theſ.*  
*jurisprud. Lib. 19. C. 48. §. 70.* Ut taceam, per mo-  
ram creditor currentis vilioris monetae intuitu haud  
leve inferri posse dampnum. In multis etiam aliis  
casibus accidere potest, ut quis ad negotia peragenda  
usuras ipsi quotannis solvendas adhibere velit , quas  
vero propter moram debitoris non consequitur, sive  
pecuniam mutuo accipere cogitur. Quid tunc aequi-

C 3

us,



us, quam ut indemnis praefetur? Vnde fit, quod inter mercatores lucrum etiam cessans damni habeat rationem. *Mevius de arrestis.*

### §. XVIII.

Sicut per ante adducta anatocismus non adeo illicitus est, sed Judex ad æquitatem semper oculos conjicere tenetur, ita præter casus jam adductos usuræ licite in sortem converti, et usuræ usurarum licite exigi possunt, si illæ sint promissæ, et de iis conventione creditorem inter et debitorem sit inita. Facile prævideo catervam dissentientium. Adsunt differentiationes celeberrimi *Cocceji* et *Frommanni de anatocismo*, qui anatocismum in genere damnant, et multo minus conventionem de usuris usurarum, usurisque in sortem convertendis, approbare volunt. Quorum argumentum eo reddit, ut, cum usurae certam in Legibus acceperint formam, voluntate privatorum nil aliud determinari queat. Quicquid enim, inquiunt, contra Leges peragitur, istud ipso Jure nullum est. *L. 5. C. de Legibus.* Atqui Anatocismus in Legibus est prohibitus, *persupra allegatas Leges*, hinc sequitur, promissionem sive conventionem de anatocismo ipso Jure nullam esse. Equidem ambabus concedo, hocce argumentum primo intuitu non levis esse ponderis. Attamen hisce ex rationibus, quilibet cum dominus de re sua pro arbitrio disponere jurique suo in Legibus concessò renunciare, atque conditionem suam reddere possit deteriorem *L. 6. §. 5. D. de confessis.* simpliciter asseri non potest, conventionem de usuris usurarum, atque in sortem conver-



convertendis indistincte a Legibus invalidam reputari. Sed per limitationem res erit expedienda, quam nunc determinabo, siveque defendere audeo, anatocismum sive conventionem de usuris usurarum, et de usuris in sortem convertendis expressè initam licitam esse, id quod sequentes §phi docere debent.

### §. XIX.

Leges quidem Romanas quod attinet, earumque verba generalia, in illis usuris usurarum prohibitas esse negare non possum. Sed rationem hujus dispositionis, et unicum fundamentum prohibitionis in natura mutui gratuita, et odio foeneratorum, quorum vitiis limites ponere istae leges student, solummodo querere debemus. Concedunt hoc ipsi illi Jcti, qui tamen anatocismum in totum prohibitum esse contendunt, quando interesse creditori præstandum concedunt. *Conf. STRYCK, in cautel. Contract. Seet. II. Cap. I. §. 26.* Immo argumenta ex ipsis legibus Romanis deducta unicam hanc adæquatam rationem satis probant, ac sufficienter demonstrant, non simpliciter usuras usurarum prohibitas fuisse Romanis. Sufficiat hic provocare *ad L. 27. ff. de re judic.* Proponit in illa Modestinus casum, quo per sententiam quis ad usuras usurarum solvendas condemnatus erat. Adjicit ipse, contra leges esse hanc sententiam. Sed tamen eam injustam solummodo, non nullam dicit. Defendit, appellatione interposita propter defectum formalium rejecta, actori ex ipsa hac sententia judicati actionem competere, quod non obtinuisset, si simpliciter contra leges absolute



lute prohibitivas, hinc ipso jure nulla fuisse haec sententia, quippe quae numquam transit in rem judicatam? *Conf. Godofredus ad dict. leg.* Vbi itaque ratio legis hujus prohibitivae cessat, ubi nullus improbus feneratitius contractus, innocentem debitorem ad incitas redigens, pro fundamento conventionis ponitur; ibi & ipsa lex cessare debet, & usuræ usurarum, quæ tunc verum interesse continent, licitæ manent, nulloque modo prohibitio illa generalis ad ejusmodi casum sepe extendit. Vnde fundata ratione infero, anatocismum licitum & non prohibitum esse semper, si commodum magis, quam detrimentum, debtor exinde capit, ne locupletior fiat cum damno creditoris, qui pecunia sua in utilitatem alterius carere debet.

§. XX.

Multo magis de usu hodiernæ praxeos hanc sententiam defendere possum, usuras usurarum non solummodo, sed & conventiones de usuris in sortem convertendis, licitas esse, dummodo non improbus feneratitius contractus, & in oppressionem infelicis debitoris tendens usuraria pravitas se immisceat. Idque defendere satago, quidquid etiam in contrarium pro ista prohibitione anatocismi universali afferre studeant *Coccejus, Frommann, aliquie Jcti*, quibus quoque assentire videtur b. celeb. *Böhmerus in Iur. Eccles. Protestant. Lib. 2. Tit. 24. §. 26.* licet sibi ipsi contrarius maneat, quando ea conferuntur, quae *I. c. L. 5. Tit. 19. §. 43.* de usuris in genere exposuit. Si modo enim respiciamus ad ea, quae a me in §pho 13. de mutata qualitate hodierna usura-



usurarum dicta sunt; Si modo perpendantur, quae in  
Spho III. adduxi, quod, si creditores ex mutuo propter  
moram debitorum damnum capere debeant, his omnis  
occasio eriperetur mutua obtinendi atque quaestum  
suum conservandi firmissima stat mea sententia. Et li-  
cet leges Imperii aliæque Germanicæ Provinciales hac  
in materia legibus Romanis adstipulari videantur, ta-  
men cessante ratione prohibitionis, &c. ut utar verbis  
*Cap. 8. X. de consangu. & affinit. cessante prohibitione,*  
*& effectus ejus cessare debet, pactum hoc sub deter-  
minatione supra allata, licet alias prohibitum, tamen  
licitum atque validum manebit, permanebitque.*

### §. XXI.

Quoniam enim vero fundamento de injustitia &  
iniquitate accusatur eiusmodi pactum, quando debitor,  
ad usuras soluendas obstrictus, a creditore petit li-  
centiam usuras per aliquot annos retinendi, quia sibi  
emolumentum producere, ac incrementum bono-  
rum forsitan adquirere possit, non tamen commo-  
dam inueniat occasionem ad aliud mutuum con-  
trahendum, inque solvendas usuras priori creditori  
debitas iterum expendendum? Quid tunc æqui-  
us ac legibus naturalibus magis conveniens, quam  
pactum cum creditore primo initum, de usuris residuis  
in sortem convertendis, addita lege, quod de iis iterum  
usuræ solvendaæ maneant? Annon circumstantiae se se  
exferunt apertæ, quæ anatocismum magis praecipiunt,  
quam prohibent? Nam interesse lucri cessantis utique  
præstandum est, quod ex conventione partium depen-  
det.  
D



det. L. 28. ff. de novat. L. 21. §. 3. ff. de act. emt. Berger  
 Econ. Iur. L. 3. Tit. 8. §. 14. n. 1. Quia vero hodie  
 usuræ tanquam interesse lucri cessantis, & compensatio  
 propter usum pecuniae mutuo datae, considerantur, sicuti  
 ipsi contra sentientes negare non possunt, per ea quæ  
 allegat Eichner Iur. Eccles. Protest. Lib. 5. Tit. 19. §. 43.;  
 hocce autem interesse semel præstatum et solutum per  
 se consistit, nihilque prauitatis redolet, sequitur, ut si  
 tale mihi debitum interesse penes debitorem maneat,  
 atque in formam convertatur, per se nihil iniquitatis  
 exinde enasci possit, cum usuræ termino elapsò debitæ  
 nec solutæ, non amplius usuræ sint, sed fors principalis.  
 L. 58. §. 1. ff. de administr. tut. Ergo & id, quod inter-  
 est, de sorte ista recte exigitur l. 2. ff. de eo quod certo  
 loco. Berlich. P. 2. Dec. 268. n. 22. Id. Pract. Concl.  
 P. 2. Concl. 38. Digna sunt, quæ hic exscribantur verba  
 notatu dignissima M EVII P. 4. Dec. 213. „Non ap-  
 paret ratio, cur alicui liceat usuras solutas eidem  
 debitori reddere, & in novum mutuum convertere,  
 & tamen usuras ipsas penes debitorem velut solutas  
 non relinquere. Cum perinde sit, an quis acceptas  
 iterum solvat, an relinquat, quia hoc est brevi manu  
 mutuari & solvere. Etsi vero & hoc lex improbet,  
 tamen mores jam legem pertraxerunt in potestatem.  
 Quodsi itaque consuetudo invalidum, dubitandum non  
 est, recte eam servari, nisi quatenus devergit ad illam  
 iniquitatem seu improbitatem, quam leges circa usuras  
 damnant. Quod fieri, quoties miseri debitores cum  
 solvere per inopiam nequeunt, rigore creditorum ad  
 convertendum in mutuum usuras adiunguntur, nec inde  
 aliquid lucri vel commodi habent. Haec illorum in  
 immen-



„immensum & alienum præcipitatio, non sine iusta  
ratione est permittenda. Vbi cessat in ea specie ratio  
usuram approbans, nempe vel pena, vel compensatio,  
ibi nec usura, quatenus proximi morsus est, alias divi-  
nitus prohibita, poterit esse probabilis.“

### §. XXII.

Recte igitur colligere licet, anatocismum eodem modo, uti usuræ simplices non per se, sed per accidens solummodo injustum, illicitum & iniquum esse, & fieri posse. Limites igitur si observantur, conventio de usuris in fortem convertendis justissima esse potest, hinc fere consuetudo communis, testante *Mervio in discussione levaminum inopæ debitorum c. 4. Sect. 6. n. 28. & Part. 4. Decis. 213.* restrinxit verba Legum generaliora, & eximit ab ista prohibitione conventionem, qua debitæ ac solvendæ usuræ in mutuum vel aliud crediti nomen convertuntur. Nulla enim est perspicienda ratio, quare, cum novam fortem debitori numerare licet, non liceat conversis in istam usuris solvendis novas stipulari. *Godofredus ad l. 28. C. de usuris.* Rectius enim qui intuetur, quæ Legibus disposita, non obscure videbit, ea odio fecneratorum adversus corundem vitia esse constituta, atque id saltim intendere, ut, quando forte usuræ justo tempore non solvantur, nec debeat haec circumstantia novis usuris & lucris causam præbere ad oppressionem debitoris forsitan absque culpa sua morosi, præcipue quia & propria creditoris culpa concurrere videtur. Id vero, quod semper licet, pro usu pecuniaæ mihi debitæ

D 2

alteri



alteri concessio usuras promittere & stipulari , & eas  
vicissim credere , sive longa sive brevi id fiat manu,  
quod perinde habetur , minime prohibitum censeri  
potest . Si igitur usuræ creditori soluta in continentia  
iterum mutuo debitori dari possunt , atque usuræ ite-  
rum tunc debentur , non perspicio rationem , quidni  
usuræ debitæ residuae inter Creditorem & debitorem  
liquidatæ naturam fortis per conventionem consequi  
possint , dummodo absit animus & intentio opprimendi  
debitorem obæratum , nec per indirectum hac occa-  
sione debitor plus sperans de bonis suis , quam in illis  
est , in immensum æris alieni alius super aliud acervati  
cumulum detruderetur .

### §. XXIII.

Quoties itaque debitor nullum exinde damnum  
sentit , quando usuræ , quarum dies venit , in sortem com-  
putantur , sed potius commodum exinde percipit , ac  
v. c. necessitatem alia mütua a tertio creditore alias  
contrahendi , hoc pacto inito , salvo statu suæ fortunæ  
evitat ; toties & ejusmodi conventionem de conver-  
tendis iterum usuris in sortem validam ac licitam esse  
proprio jure defendo . Ipse Mevius loc. cit. testatur ,  
sibi cognita esse exempla perplurima , in quibus ejus-  
modi contractus non modo in judicis decidendo ap-  
probati , sed & opera atque intermediatione ipsorum  
Iudiciorum conciliati fuerunt . Iure meritoque ergo  
meam defendi sententiam judico , quod prohibitiva  
dispositio L. 28. C. de usuris ad talem hypothesin &  
conventionem ejusmodi circumstantiis munitam mi-  
nime



nime extendenda maneat, idque eo magis, quia maximi nominis Iureconsulti, *Mevius loc. cit.* scilicet, *Böhmer in jure Digest. L. 22. tit. 1. §. 7.* *Cothmann Volum 1.* *Resp. 52.* aliisque illi calculum non modo subjiciunt, sed & analogiæ juris ea conformis est. Dantur enim usuræ vi definitionis loco compensationis, quia debitor mea utitur pecunia, meque ab utilitate ex usu ejus percipienda excludit. Hinc consequens est, ut &, si usuras mihi debitas non solvat, sed per conventionem expressam ad suam utilitatem promovendam lucrumque sibi quærendum retineat, debitor de illis faciat hanc compensationem, quia ipso jure canonico ob moram & tardatam solutionem id quod interest, sive usuræ legitimæ debeantur, & tales usuræ usurarum hoc casu verum interesse lucri legitimi & radicati cessantis continent. *Cothmann Vol. 2. Resp. 52. n. 156.* unde & sub hac præsupposita limitatione renunciatio debitoris de non opponenda exceptione anatocismi, propter rationem prohibitionis præsenti in casu cessanter, utique licita & valida manet, ita, ut ad renunciata non detur regressus.

#### §. XXIV.

Id quod de licto usu anatocismi, tam propter moram, quam propter expressam inter creditorem & debitorem initam conventionem, in genere hactenus defendi, etiam in specie ad licitam ejus admissionem & validam exactionem usurarum de usuris a debitore non solutis, quoad patriam nostram, in primis applicare possum. Non enim solum per ea, quæ *Spho* 22. adduxi, constat, communem per Germaniam consuetudinem

D 3

L. 28.



L. 28. C. de usuris restrinxisse, sed et in specie de usu  
Pomeraniæ simili idem testantur ICti Pomeranenses,  
*Mevius in discuss. levam. inop. debit, loc. cit. n. 30. ut & in*  
*Decis. P. 4. D. 213. n. 4.*, undenam per argumentum a  
vicinia ad nostram quoque provinciam patriam con-  
cludere possum. Sed præterea multa specialia extant  
Responsa & Decisiones, quæ itidem usum hujus sen-  
tentiae practicum in Megapoli specifice afferunt. Sic  
enim in duobus Responsis a facultate juridica Hallensi  
in annis 1716. & 1731. suppeditatis, quæ allegantur  
ab *Hempelio im allgemeinen Repertorio sub voce anato-*  
*cismus n. 1.* in rationibus decidendi expresse pro-  
vocatur ad id, quod plurimis in provinciis Germaniæ,  
præprimis in Megapoli, conversio usurarum in sortem  
permitta fit. Idem illud testatur *Mevius loc. cit.*, at-  
que afferit, istud testimonium extra omnem dubitatio-  
nis aleam propter notorietatem positum esse. Neque  
minus ad patrium ICruum *Cotbmannum* provocare pos-  
sum, qui in suis Responsis diversis locis, præfertim ve-  
ro Vol. 4. Resp. 38. n. 17. ita differit: *quotidie usuræ*  
*& interesse debitum in sortem redigi, & inde annuum*  
*interesse promitti & præstari solet, cuiusmodi etiam*  
*conventiones, nisi manifeste fraus inesse demonstretur,*  
*in curiis pro justis & legitimis censeri & haberis solent.*  
Immo multo clarius hoc docet *Illustris Dnus Preses in*  
*Jure Mecklenburgico illustrato Cent. 3. jud. 69.* & præ-  
ter Autores supra jam laudatos, non solum ad *Cotb-*  
*manni Vol. 1. Conf. 18. n. 218. Car. von Hagen de usuris*  
*c. 5. n. 128. Lindemann de mutuo c. 3. n. 57.* provo-  
cat, sed in specie quoque *Responsum ab amplissimo or-*  
*dine Dominorum Antecessorum Rostochiensium in an-*  
no



no 1691. in causa Bürgermeister Rügen contra C. V. v.  
Plessen datum hac in causa allegat, tenore cuius con-  
versio usurarum in sortem moribus hujus provinciae  
haud reprobata, sed potius per observantiam & consti-  
tutiones ex probabilibus rationibus approbata declara-  
tur. Quam opinionem quoque semper Antecessores  
in facultate, utpote moribus hujus Provinciae confor-  
mem, amplexos esse, idque ex variis decisionibus &  
Responsis demonstrari posse, expresse determinat. Nec  
desunt ex novissima historia exempla, hanc observan-  
tiam in Ducatu Megapolitano corroborantia. Sic enim  
v. c. Franck im alten und neuen Mecklenburg Libr.  
18. p. 155. allegat casum, quo anno 1731. facta liquidatione  
de publicis a Nobilium ordine contractis debiti-  
tis, cum liquidatio restantium de sorte usurarum si-  
mul facta, Generosus Dominus de Hahn usuras in sortem  
per conventionem converti, atque desuper chiro-  
graphum sibi dari passus est, quod delectus Nobilitatis  
Provincialis nomine totius Provinciae quoque appro-  
bavit & fecit. Eodem modo adhuc in praecedenti anno  
Illustris Cancellaria Sueriensis in causa Liquidationis  
creditorum defuncti v. B. zu P. oblatum heredum de  
computandis usuris in sortem, & solvendis usuris usu-  
rarum, ad evitandum concursum imminentem factum,  
usque ad approbationem creditorum approbavit. Quod  
tamen per dissensum creditorum postea rejectum.

### §. XXV.

Eo magis haec sententia de æquitate anatocismi  
seu computationis usurarum in sortem, si modo absit  
impro-



improbum fœnus creditoris, clarius elucebit , quando respicimus ad alios casus, ubi ipsæ Leges Romanæ, anatocismum alias generaliter damnantes, usuras usurarum approbant; & perpendimus in illis identitatem rationis, quæ cum fundamento, supra a me ad deducendam æquitatem anatocismi certis sub limitationibus, allato , coincidit. Exempla eum in finem ad corroborandam meam sententiam adjiciam. Sic usuræ usurarum exigi possunt, si *fidejussor* pro debitore sortem cum usuris solverit. Ratio est in promtu. Nam simulac fidejussor creditori sortem cum usuris solvere tenetur , istud quod solvit, scilicet exsoluta sors cum usuris, haud amplius naturam usurarum, sed potius veri debiti assumit, quod repetendi cum usuris fidejussor secundum omnia jura sibi facultatem tribuere potest. *Mevius P. 6. D. 328. P. 7. D. 212.* n. 7. P. 8. D. 249. n. 1. Si vero usuræ solutæ debitum & quasi mutuum constituant , earum usuræ utique debentur. *Idem P. 6. D. 328.* per consequens, cum officium fidejussoris illi non debeat esse damnosum, l. 7. D. *quem-adm. testam. aperiantur.* §. 6. *Inst. de fidejuss.* necesse est, ut debitor eum indemnum præstet, & usuras tam de soluta forte, quam de solutis usuris, exsolvat , quem alias fidejussor contraria actione mandati convenire potest. Nam quotiescumque ex justa causa summa debiti crescit, totum debitor præstare tenetur. l. 45. §. 6. l. 50. §. 1. l. 56. fin. D. juncta l. 12. §. 9. D. *Mandati Zanger de Except.* P. 3. c. 25. n. 79. & seqq. Si vero fidejussor graviores usuras, quam necesse fuit, solverit, nullus ipsi contra debitorem datur regressus ratione summæ excedentis. l. 10. §. 12. & l. 29. ff. *Mandati.*

§. XXVI.

**§. XXVI.**

Simili modo usuræ usurarum recte exiguntur, si negotiorum gestor, Mandatarius aut Procurator usuras Principalibus competentes in suum usum adhibuerint. Iste enim sine consensu Domini & Principalium istis usuris, quas ab horum debitoribus percepunt, usi sunt, & lucrum inscio atque invito domino ex iis sibi conciliarunt. Cum vero ille, qui re aliena utitur sine Domini voluntate, Domino satisfactionem teneatur praestare; facile argumentari valeo, tales Procuratores, Mandatarios & negotiorum gestores, qui absque consensu Principalis usuras ejus nomine a debitoribus exactas in suos usus convertunt, ad usuras usurarum solvendas esse obligatos. *L. 10. §. 3. D. Mandati, Struvii Syntagm. jur. civ. exerc. 27. §. 51. arg. L. 58. §. 1. & fin. D. de admin. tutor. Coccejus de Anatocismo Sect. 2. §. 6. & 7.* Quæritur hac occasione, ad quantas usuras *administrator cassæ civitatis seu aerarii publici & negotiorum gestor de redditibus perceptis & in usum suum convervis de jure teneatur.* Et respondeo, secundum *L. 28. D. de negot. gest. ad centesimas usuras, si ve duodecim pro centum solvendas, cum esse obligatum, quam legem adhuc hodie in usu esse recte asserit Leyser in fp. 55. cor. 2.* Et istud etiam intuitu tutoris, de quo proxime jam agam, juris esse, testatur *Wernher select. obser. forens. Vol. 4. obs. 316.*

**§. XXVII.**

Præterea usuras usurarum solvere debent tutores vel curatores, qui a debitoribus pupillaribus nomine

E

pupil-



pupillorum vel minorum usuras acceperunt, & in proprium usum converterunt. Tutorum enim & curatorum officium debet esse gratuitum, nec istis ullo modo est permisum, lucrum sibi ex tutela vel curatela comparandi. L. 58. pr. D. de adm. § periculo tutor. Si igitur nihilominus tutores vel curatores usuris a debitoribus pupillaribus perceptis intantur, atque per eas lucrum sibi faciant, sicutque se cum damno pupillorum vel minorum locupletent, tunc etiam pupillis & minoribus usuras usurarum solvere sunt obstricti. L. 7. 10. 12. 58. §. 1. § fin. D. de administ. tutor. Carpzov. P. 2. const. u. def. 22. Böhmer. Introd. in Jus Digest. libr. 26. tit. 7. §. 17. Mencke de tute ad usuras usurarum praestandas obligato. Richter de Jure & Privilegio creditorum disp. 12. limit. u. qui responso facultatis hoc illustrat.

### §. XXVIII.

Nec exceptio est facienda, si forte tutor vel curator sit ipse debitor pupilli vel minoris, & usuras debitas quotannis non in rationes redegit, sed illas in suum usum convertit. Nam si tutores vel curatores pupillis vel minoribus usuras usurarum praestare debent, si usuris a debitoribus pupillaribus perceptis sunt usi, etiam hoc in casu ob paritatem rationis ad usuras usurarum solvendas tenentur, si minorum sunt debitores, & debitas usuras non quotannis in rationes redegerunt, sed istas in suum usum adhibuerunt. Tutores enim pupilli id contra se praestare debent, quod contra alium, & simul tanquam creditores & debitores considerantur, nec



nec cum detimento pupilli sese locupletare debent. L. 7.  
§. 12. L. ult. D. de administ. tut. L. 17. §. 18. D. locati.  
Mencke loc. cit. §. 3. seq. Mevius P. i. Dec. 73. Müller  
ad Struvii Exercit. 27. §. 51. lit. d. Wernher obs. forens  
P. 8. O. 397.

§. XXIX.

Eadem illa obligatio tutori curatorkique incumbit, quando usuras exactas deducto antea eo, quod necessitatibus inopinatae inservit, licito lucro ac fœnori non exponit, sed post sex menses a tempore susceptae administrationis L. 15. D. de administ. tut. vel curat. & suscepta jam administratione post duos menses a tempore factæ solutionis L. 7. §. n. D. eodem otiosas relinquit. Nam ejus officium vult, ut curam adhibeat omnem, ne pecuniæ pupillorum maneant otiosæ. Si itaque commoda eas elocandi occasio sese exserat, ejusquoque omnino est & manet, ut istam observet, nisi velit præsumptionem incurrere, seipsum pecuniam pupilli nomine exactam in proprium commodum convertisse. Carpzov. Part. 2. const. u. def. 22. & hinc pupillos & minorennes indemnes præstare. Quia enim tunc tutor in genere de pecunia pupilli nomine exacta usuras præstare tenetur. L. 32. §. 2. D. eod. tit., necesse quoque est, ut, cum, ubi eadem ratio, eadem quoque sit legis dispositio, tutor atque curator usuras tunc usurrum oriose relictarum pupillis præstare debeat. L. 7. §. 10. & 12. D. eod. immo & de centesimis propter præsumptionem supra adductam tenetur. (§. 26) Comoda tamen ut adfuissest occasio elocandi necesse est, quam quidem a tute negatam pupillus probandam habet,



habet, nisi doceri forsitan possit, tutorem eodem tempore proprias pecunias bene elocasse. *Carpzov.* *P. 2. conf. 11. def. 23.* Irmodo idem etiam obtinet in casu, quando usuras plane non exegit tutor vel corator. Quia enim non de neglectis solum & omissis tenetur, *L. 7. §. 3. D. eodem L. 4. & 7. C. arb. tut.* sed & de fructibus conveniri potest percipiendis. *L. 32. §. 2. D. de administ. tut. L. 25. & 27. C. eodem* prona exinde consequentia absque ulteriori deductione per se fluit, tutorem vel curatorem hoc in casu negligentem ad usuras usurarum pupillo praestandas utique obligatum manere, quam tamen in materia brevitatis causa lectorem remitto ad *dissert. Carrachian. de anatocismo* *§. 15.*

### §. XX X.

Dissentit interim hac in quaestione a me *Stryck* in *U. M. I. 26. tit. 7. §. 23.* cum multis aliis ibidem adlegatis, & in ea hæret opinione, quasi usuræ usurarum a tutori vel curatore non essent praestandæ, si vel ipse quia Debitor usuras non in rationes redegerit, aut a debitoribus pupillaribus exactas & acceptas non iterum scenori exposuerit, sed nisi me omnia fallant, absque solido fundamento. Nam utroque in casu pupillo damnum intulit, & sese locupletavit, quod contra apertas Leges impingit. Præterea quotannis rationes reddere & usuras ad computum redigere debet, & hinc quoque usuræ quotannis in plenè novum debitum novamque sortem transmutantur. *Clara exstat I. 7. §. 3. de administ. tut.,* quæ semper loqui presumitur, & in qua haec verba obveniunt: *post depositionem pecunie comp*  
*parare*



parare neglexerunt tutores prædia, incipient in usuras conveniri; quanquam enim a Prætore eos cogi oportet, ad comparandum, tamen si cessent, etiam usuris plectendi sunt, tarditatis gratia, nisi, si per eos factum non est, quo minus compareant & in l. 9. §. 3. eod. quod tutor adversus alium præstare debuit Pupillo, ut id aduersus se quoque præstare debeat, non solum disponitur, sed additis adhuc ulterioribus; fortassis & plus. Adversus alios enim experiri sine actione non potuit, adversus se potuit. Nil itaque prodest objectio illa *Stryckiana* in Libr 22. tit. I. §. 18. quod, cum debitor in tali casu non mutetur, in quo ordinarie solummodo usuræ usurarum admittuntur, illæ a tute in adducto casu haud exigi possint, sed potius subsistendum sit in prohibitione anatocismi generali. Nam antea jam rationes adduxi, cur tutor vel curator utique ad usuras usurarum præstandas teneatur, ex quibus hæc objectio facile refellitur. Exata enim vel debita summa tanquam fors est consideranda.

### §. XXXI.

Porro Anatocismum licitum esse & usuras usurarum exigi posse mutata persona debitoris defendo. Dissentiunt quidem Carrach & Coccejus in Diff. de Anatocismo. Sed rationes sequentes memet movent ad contrariam foyendam sententiam. Nam §pho XIII. jam ostendi, hodie usuras usurarum non adeo esse odiosas, ac jure Romano, sed potius ad æquitatem esse respiciendum. Finge igitur, debitorem meum, qui alium habet debitorem, mihi ejus consensu sortem cum usuris

E 3

usuris



usuris cedere, eumque delegare, ita ut delegantis debitor fiat meus debitor delegatus. Finge, etum delegatum debitorem maxima ex parte tantum loco sortis meo priori debitori jam deleganti debere, quantum meus debitor delegans mihi ratione sortis & usurarum solvere debuisset. Nonne hoc in casu, si ex principio, quod prohibitio anatocismi sit generalis & universalis vi L. 28. C. de usuris non plures mihi praestaret usuras, quam quod intuitu sortis a me priori debitori jam deleganti, mutuo datae, praestandæ fuissent, & de usuris quoque delegatis plane nullas praestare vellet usuras, licet sua antea a delegante accepta sors in majori constat quantitate, & quantitatem usurarum mihi debitarum simul contingat, nonne hoc in casu, inquam, debitor delegatus aperte cum damno meo fieret locupletior? ast non in hoc casu solum, sed potius generaliter assero, ejusmodi residuas usuras in persona tertii debitoris plane amittere usurarum qualitatem & naturam sortis accipere, hinc licitam usurarum exactiōnē admittere, non obstante illa generali L. 28. C. de usuris prohibitione. Certo certius hic provocare possum ad L. 10. §. 3. in f. D. Mand. L. 7. §. 12. L. 58. §. 1. Et fin. D. de adm. tut. L. 19. §. 4. de neg. gest. Wernher P. 5. obs. 86. Schöppfer Synops. Pand. l. 22. tit. i. n. 30. ut Et Richter de Jure Et privil. credit. disp. 12. limit. II., qui expresse usurarum earum in concursu creditorum eandem ut sortis haberi rationem dicit. Nec obstat argumentum in contrarium adlatum, quod delegatio solummodo solutionis effectum intuitu delegatarii & delegantis, non autem delegati producat, & delegatus citra delegationem usuras deleganti soluere deberet;

quas



quas jam facta delegatione delegatario præstare teneatur, hincque per ejusmodi delegationem ratione delegati nulla mutatio facta sit, nec dici possit, delegationem intuitu delegati effectum solutionis habere. Nam sicuti in genere usuræ ab alio debitore præsenti meo debitori, & cum sorre, & separatim solutæ, in persona ejus, qui accepit, fortis vice funguntur, & fors efficiuntur l. 58. §. 1. & 4. D. de adm. tut. vel curat. ita & usuræ, quando delegans eas delegatario interveniente delegatione cesserit, & delegatus se expromittendo ad eas delegatario solvendas obligaverit, per novationem in fortem convertuntur, & naturam usurarum amittunt. Si vero facta hac delegatione in persona delegati naturam fortis habent, prono sequitur alveo, non solummodo delegatarium a delegato, si in solvendo moram nequit, usuras moræ exigere posse, sed conventionem quoque cum delegato de usuris exinde præstandis initiam utique validum esse. Bachov. ad Treutl. vol. 21 diff. 3. Et utique hic solidum ac satis in ipsis legibus stabilitum fundamentum adest, quare in expromittente ac delegato exceptionem facere possimus a prohibitione illa generali l. 28. C. de usuris. Itmo praxin hac in re meæ sententiae conformem, ira ut si per delegationem fors cum usuris cedantur & debitor mutetur, usuræ usurarum locum habere possint, testantur Struv. exerc. 27. th. 51. qui ad Responsum quoddam a facultate juridica datum provocat. Carpzov. const. 30. def. ult. Böhmer. Introd. in Jus Digest. l. 22. tit. 1. §. 7. Sebaudburg. comp. Jus Dig. l. 22. tit. 1. §. 5.

JUXXXI.

§. XXXII.



§. XXXII.

Num vero usuræ usurarum etiam mutato credito locum habeant, quæstio mihi videtur ambigua, quam in præsenti plene enodandi mihi non est animus. Confiteor, argumenta pro negativa magis mihi arridere, quam pro sententia adversa. Evidem concedo, l. 37. *D. de usuris* speciem præ se ferre affirmativam defendendi. Attamen nihilosecius iis meum adjicio calculum, qui ad hanc questionem in genere spectatam negatiue respondent, adjecta tamen secundum antea præmissa principia quadam limitatione. Cedens enim in cessionarium plus juris transferre nequit, quam quod ipse habet. l. 54. *D. de reg. Juris* nec conditionem debitoris duriorem facere potest, quatenus vero creditor primarius usuras usurarum secundum principia antea adducta vel absque promisso vel proper conventionem supra ut licitam defensam a debitore exigere potuerit, eatenus & novo creditori usuras usurarum exigere licet. Quæ secundum principia etiam erit respondendum, si quæstio oriatur, num secundus creditor hypothecarius, qui primo creditori sortem cum usuris exsolvit, eaque solutione majoris securitatis causa pignus sibi acquirit, usuras usurarum exigere queat. Negatur hoc in l. 12. §. 6. *qui pot. in pign.*, cum creditor non offerat priori pecuniam animo solvere nisi pro aliodebiti, sed animo sibi acquirendi & quasi emendi pignoris sit. l. 12. *Struv. exerc. 27. th. 51. l. 4. §. fin. D. de rebus aut. jud. poss.*

§. XXXIII.



## §. XXXIII.

Tempus itineri destinatum accelerat, hinc finem huic labori impono. Multi supersunt casus, qui adhuc disquiri possent, sed temporis brevitas istud prohibet. & facile secundum principia adducta dijudicari possunt, quæ hic non specialiter tete*gi*. Animus mihi quidem erat adhuc enucleandi, usuras rei judicatae etiam in praxi obtinere, easque usuras tam usurarum quam litis sumtuum continere, istasque usuras etiam ultra alterum tantum currere, uti casum in terminis decisum scio. Similiter acturus eram de mercatore, qui, licet in venditis mercibus plus quam consuetas usuras ad computum rediget, a debitore tamen in mora constituto post annum usuras de pretio non soluto, hinc usuras usurarum exigere potest. Sed in præsenti istud silentio præterire cogor, & cum materia ventilanda mea ex sententia satis explicata & instructa videatur, in causa jam concludo, & hunc laborem benevolentium Lectorum judicio ac sententiae submitto.

F I N I S.



F

XXX

mentum et deinde amissio fratris suorum  
et deinde resiliuntur. A deinceps vero del  
tempore quod est post resiliuntur et  
admodum rite etiam permissum est quod  
deinde resiliuntur. A deinceps vero del  
tempore quod est post resiliuntur et  
admodum rite etiam permissum est quod  
deinde resiliuntur. A deinceps vero del  
tempore quod est post resiliuntur et  
admodum rite etiam permissum est quod  
deinde resiliuntur. A deinceps vero del  
tempore quod est post resiliuntur et  
admodum rite etiam permissum est quod  
deinde resiliuntur. A deinceps vero del  
tempore quod est post resiliuntur et  
admodum rite etiam permissum est quod  
deinde resiliuntur. A deinceps vero del  
tempore quod est post resiliuntur et  
admodum rite etiam permissum est quod  
deinde resiliuntur.

XXXI



PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
DOMINO RESPONDENTI,

CAVSSARVM PATRONO MERITISSIMO,  
FAVTORI ATQUE AMICO SVO CONIVNGTISSIMO

S. ET O.

DICIT

HERMANNVS BECKER

LL. D. ET INST. P. P. O. SENAT.

Publica officia, & negotium A SERENISSIMO NOSTRO  
PRINCIPE AC DOMINO NOSTRO LONGE CLE-  
MENTISSIMO propensissime Viro Illustri ac Consultissimo  
Domino Consiliario atque Antecessori MANTZELIO, Facultatis no-  
stræ venerando Domino Senori, ac pro tempore Decano spectabilissimo,  
huic specimini inaugurali destinato Praesidi grauissimo, Fautori atque  
Collegæ meo longe honoratissimo, demandatum, eum aliis laboribus  
publicis destinatum avocant, ac pro hac vice impediunt, in pro-  
pria persona praesidium suscipiendi, atque defensa Tua, Amice con-  
iunctissime, hacce dissertatione Tibi conferendi honores Doctorales.  
Commisit Vir Illustris durante sua absentia mihi vices suas Decana-  
tum nostræ Facultatis spectantes, atque in laboribus obuies cum  
hoc officio coniunctis benevole substituit. Sicuti igitur observantia  
mea Viro Illustri debita gratissimam mihi reddit spartam animum  
meum Illi deuinustum in suscipiendo hisce benevole commissis re-  
stanti, ita & multo magis pergrata est & manet mihi occasio, Ti-  
bi Vir Consultissime, ac Amice coniunctissime, officia mea debita non  
solum in suscipiendo Vicepraesidio praestandi, sed & animum Tibi  
deditissimum publicis votis testandi, quæ sincero pectori in acci-  
piendis dudum iamiam promeritis honoribus publice hisce meis lit-  
teris soluo. Superuacaneum fore, Vir Consultissime, Tuis mori-  
bus, Tuisque profectibus in legali scientia, & theoretica, & practi-  
ca, utramque enim felicissima semper Minerva & olim coniunxisti,  
atque adhuc hodie practicis laboribus dicatus, coniungis, laudes

con-

congerere, & carmina canere. Supervacaneum inquam hoc foret  
negotium meis qualibus qualibus viribus, quas iudeo, quam sint  
exiguæ, cum non vita solum *Tua Academica* per varios annos no-  
stris in Athenis laudatissime peracta, & specimina *Tua* eruditio[n]is  
tunc iam temporis a *Te* exhibita, sed & practici*l* labores, in  
f[or]o publico quotidie dignis cum encomiis in defendendis aliorum  
fortunis, satis hoc faciunt, atque testantur. Liceat itaque mihi so-  
lummodo gratulatoria hacce mea & acclamatoria epistola animum  
meum *Tibi Tuisque & presentibus & futuris deuinetum Germanico*  
id est sincero peccore testari. De Dissertatione oblata a *Te* proprio  
Marte elaborata, ut pauca simul addam permitras. Ipse iam indi-  
casti in præfamine, *Tibi* in elaborando iamiam occupato, & ad  
aliud thema eligendum negotiis *Tuis* impedito, ab *Illustri Domino*  
*Decano*, cuius vices ut Mandatarius solummodo suscipio, Carr-  
achianam illam Dissertationem hoc de themate solide conscriptam,  
communicatam fuisse. Non sine ratione tamen permanisti in *Tuo*  
proposito. Statim enim collatio utriusque elaborationis demonstrat,  
multa a *Te* partim alia ratione determinata, partim ulterius deduc-  
ta, partim ex principiis naturalibus alio modo suffulta esse, quam  
in opere Carrachiano comprehenduntur. Unicum ut addam exem-  
plum, prouoco solummodo ad §. 19. & 24. Dissertationis Carr-  
achianæ. Optima itaque ex ratione gratulor *Tibi* laborem exantla-  
tum, simulque honores, qui *Te* dignissimum exspectant, quali-  
bet fausta, qualibet felicia intimo ex corde *Tibi* appreccaturus, me-  
que Favori *Tuo* & in posterum commendaturus. Vale Amice sua-  
vissime & coniunctissime, ac faue

## T V O

Scribem Rostochii  
die 10. Martii 1760.

deditissimo

AMICO AC PRAESIDI SVBSTITVTO.

Rostock, Diss., 1759-76  
X 228 42 89



8	
7	
6	
5	
4	
3	
2	
1	
0	
Inches	
1	
2	
3	
4	
5	
6	
7	
8	
9	
10	
11	
12	
13	
14	
15	
16	
17	
18	
19	
Centimetres	

B.I.G.

Farbkarte #13



DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> IVRIDICA IN AVGVRALIS,  
SISTENS DISQVISITIONEM

**A N A T O C I S M V S  
AN ET QVATENVS SIT  
PROHIBITVS,**

QVAM,

SVMMO IN COELIS NVMINE ADIVVANTE,  
EX CONSENSV

AMPLISSIMAE FACVLTATIS IVRIDICAE  
ACADEMIAE VARNIACAE,

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI ATQVE CONSVLTISSIMO,

*P. 449.* **DN. ERN. IO. FRID. Mantzel,**  
SEREN. DVCIS REGN. MECKL. CONSIL. CANCELL. AC CONSIST.  
PANDECT. PROF. PVBL. ORD. COM. PAL. CAES. FAC. IVR.  
SENIORE, ATQVE H. DECANO,  
STVDIORVM SVORVM PROMOTORE SEMPER  
COLENDO,

PRO OBTINENDIS SVM MIS IN VTROQE  
IVRE HONORIBVS,

ANNO MDCC LX, DIE XIII. MARTII  
ATHENIS VARNIACIS

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIT,

**L V D O L P H P H I L I P P  
MECKLENBVRG,**

BOICENBVRG MEGAPOL.  
SVPREMORVM IVDICIORVM ADVOCATVS RECEPTVS.

ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.

KONTR. LIB.  
UNIVERS.  
ZVHALIE

Gr. 15. num. 39.

12

1760, 5.